



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KARAGANDENSIS**

LATINORUM* ADMINISTRATIO APOSTOLICA KARAGANDENSIS LATINORUM

CONSTITUITUR Cum propter populorum commigrationes, quae his septuaginta annis evenerunt in Foederatis Civitatibus Socialistis Sovieticis, multi hodie sint in Republica Kazakistanae catholici ritus Latini, horum spiritali curae est prospiciendum non longiore intermissa mora. Eam ob rem Venerabilis Frater Franciscus Colasuonno, Archiepiscopus titulo Truentinus, in Civitatibus Foederatis Socialistis Sovieticis Apostolicae Sedis Legatus, petivit ut in supra commemorata Republica Kazakistanae initium fieret canonicae dispositionis communitatum catholicarum ritus Latini per institutionem Administrationis Karagandensis, et Administratoris Apostolici dicio extenderetur, ad tempus, ad sparsas catholicas communitates, quae in finitimis sunt Rebuspublicis Tagikistanae, Kirghizistanae, Uzbekistanae et Turkmenistanae. Nos idcirco, attente huius Administrationis constitutione considerata, auditis probatisque Venerabilis Fratris Angeli Sodano, Archiepiscopi titularis Novacaesariensis, Prosecretarii Status, necnon Venerabilis Fratris Ioannis Ludovici Tauran, Archiepiscopi titularis Theleptensis, Commissionis pro Russia Praesidis, eiusdemque Commissionis consiliis, huic postulationi concedendum esse censuimus. Quapropter, Nostrae usi Apostolicae potestatis et auctoritatis plenitudine, his Litteris territorium Reipublicae Kazakistanae in Administrationem Apostolicam erigimus *Karagandensem* appellandam, iisdem circumscriptam finibus, quibus in praesens eadem Respublica terminatur, cuius sedem in urbe Karaganda collocamus. Praelato Ordinario noviter constitutae Administrationis Apostolicae omnia iura tribuimus et facultates ac officia imponimus, quae Episcoporum residentialium propria sunt, congrua congruis referendo, ad normam Iuris Communis, et, donec aliter provideatur, curam pastorem omnium Christifidelium in Rebuspublicis Tagikistanae, Kirghizistanae, Uzbekistanae et Turkmenistanae habitantium committimus. Haec perficiendi munus delegamus Venerabili Fratri Francisco Colasuonno, eidem facultates dantes necessarias et opportunas, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere iniuncto ad Pontificiam Commissionem pro Russia sincerum exemplar actus peractae executionis mittendi. Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio decimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo primo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

ANGELUS SODANO, archiep.

Prosecretarius Status

IOANNES LUDOVICUS TAURAN

Pont. Comm. pro Russia Praeses

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

